

A.

1216/11.

Régi nyomtatványok, Martin
(304.15.11)

304.ig.jegyzék

"Régi nyomtatványok, Martin:"

2.cím: 2153 + 6585+ 7585+ 13823 -B.signat.

☉)(34)(☉

pone, etsi intima inter confidentissimos aut
pandantur, aut tractentur. Ita verba &
actiones compara, quasi olim inimicus, nunc
Æacus adesset. Limes amicitiae sit us-
que ad aras æterni DEI
cui sit

MAJOR SEMPER
GLORIA.



B 2153/13 = 18 strau!

MEMORIA SÆCVLORVM

Gemini à Scythia Hungarorum egressus

&

In altero septem gloriosissimorum

Ducum,

Carminè decantata

Ac

Reverendis, Nobilibus, & Doctissimis DD. AA.

LL. & Philosophiæ

NEO-MAGISTRIS

Dum actu in Alma Episcopali Univer-
sitate Cassoviensi

Per Reverendum Patrem

STEPHANVM CSEKE

è Soc: IESU, AA. LL. & Philosophiæ

Doctorem, ejusdemq; Professore Ordinarium,
nec non p. t. Seniore Consistorialem

Solenni ritu inter festivos applausus su-
prema Philosophici Honoris Laureâ conde-
corarentur.

Ab Oratoria Facultatis Studiose dicata


ANNO

M. DC. LXVI. die 14. Iulij.

CASSOVIÆ.

Regi nyomtatványok, Martin
(304. 1971)

B 2.153/13 = 18 strau!



NOMINA DOMINORVM
NEO-MAGISTRO RVM.

- R. D. Ioannes Debródi Vngarus Debródiensis ex Comitatu Aba-Vyvariensis, Seminarij Kisdiani S. Ladisl: Regis Hungariæ Alumnus.
- D. Ionnes Domi, Fűzetabaniensis, ex Comitatu Heves.
- D. Ioannes Martis, Nob: Pannon Hricloviensis, ex Comitatu Trinchniēsi.
- D. Martinus Æditui Pannon, ex Com: Trinchniensi.
- D. Nicolaus Krucsai Nob: Vngar: ex Com. Zempl: Celsis: Principis Alum:
- D. Stephanus Cfernatonii Nob: Vng: Transylvanus ex Kezdi Szek.
- D. Stephanus Iosa Nobilis Vngarus de Nimeth Szógyen, ex Comitatu Biharienti.

Ad
2



Ad Reverendos, Nobiles, & Doctissimos DD.

NEO-MAGISTROS.

Dum in laureata Palladis amphitheatro, vos ut vos inter publica solennitatis applausus; in laureati honoris Vestri obsequium amico affectu conjurant universa, DOCTISSIMI D.D. NEO-MAGISTRI Philosophi; sanè, injuriam in laureatam vestram felicitatem à nobis foret; si, in feriore licet, tanti honoris tributi pretio, certè tamen aliquo in lauream vestram devoti affectus nostri monumento in publicum obsequium non veniremus. Etenim, quis fortunata in vobis florentis in septem Sapientibus Gracia reduci expendat tempora, & ad tanta felicitatis deesse Officium, res ætissime non d. finiat, esse desipere. Nodum, & Vinculum perfectionis quoddam in rebus, Latia Jacundia Principi credimus Tullio, septenarij numeri mysterium esse, quo & triones Arctici, & Principum Senatus syderum, & in conficienda quondam Universi fabrica, tempus, Deo ita perfectionem intendente, desiniuntur. quæ cum & singulari faventis fortuna eventu, vel magis certè

A 2 sic

Regi nyomatatawinyok, Martin (30/1/1911)

B 2153/13 = 18 strau!

Ne perfectionem consequentis virtutis ministerio, ut
olim septem Gracia lumina describimini, de tam
bene auspiciata conditione nihil omnino vobis ap-
plaudere, nimis foret imperfectum. Felicia sane
saecula, quibus & togata Minerva tam feliciter eo-
veniunt miracula, & sagata Palladis tam fortu-
natè recoli potest memoria, quid aliud tam beatis
postulare videntur auspicijs, quam ut laureatis Sa-
pientia vestra verticibus affectu obsequamur, quod
iustitia est, & quali quali ejusdem gestientis indici-
cio voveamus perennare, quod humanitatis. Ve-
rùm in laureata hac Vestra felicitate, cedant arma
toga, id est, gemino bis è Scythia egredientium
Hunnorum vindicata Marte in Patriam Panno-
nia, immortalis gloriosissima gentis decora, aternis
tatis facinora, orbis miracula, belli fulmina, sacra-
lorum in armis portenta, secundè egressus septem
Hungarorum Martigena, Duces invictissimi,
Patres Patria, poeticis, quoad licuit umbrati co-
loribus, supremis vestris in indicium applaudentis
animi cedant laureis, quas desideratissime vove-
amus perennare.

Laureata Honori Vestro addictissimi.

Oratoriae Facultatis Studiosi.

Hun.

3



Hunniacæ geminum Riphæi è cardine mundi
Egressum gentis, vulsâque propagine primi
Post portentosis lassatum stragibus orbem
Deleto propius populo discordibus armis
In sua victrices cum vertit viscera dextras,
Martigenæ rursus decora immortalia stirpis
Bellonæ Proceres: Scythiam qui sede secundo
Migrantem rexere Duces, Hunnique perenne
Nomen ab invicto propagavere Gradivo,
Zabolsum, Arpadum Gyulam, Kendumque, Lebelem
Nerbûlsum atque Orsum, lingvæ peregrina Latino
Nomina, sed ferro Latæ notissima terræ
Fama sonat, centumq; loquax, & mille plicatis
Plausibus, astriferos pennis invecata penates
Herculeos Mavorte viros, gentisque sagatæ
Phœbœis vulgat Proceres annalibus orbi.

Vos quibus in nutus rerum prætervolat ordo,
Et lapsu distincta suo sunt saecula, quorum
Imperio populi terris convertere terras.
Sanguineoque solent sedes exquirere ferro
Numina, præteritos evolvere cedite casus
Rerum, & Pegasidi placida aspirate canenti.

Fallor? an albentes cani super æquoris undas
Aetherei præpes video penetralia tecti
Irruit, atque lovis liquidos emensa parentis
Fama sinus; nimbos præter, trans fulminis aulam,
Trans & Hyperboreos pennis evecta triones

A 3

Fertur

Regi nyontatwethyok, Martini
(30/11/51)

B 2153/13 = 18 strau!

Fertur, & inōcuos alis plaudentibus ignes
Permeat, obtutūque legens signata per axem
(Jafides Cephēus, vel quā Tyrinthius Heros
Æternat) Scythiæ retro quid sæcula quondam,
Sæcula sollicitè sero discenda Nepoti,
Egerunt Clariâ vulgans illustrius ode,
Hæc ex Hunniacis differit audio fastis.

Parrhasijs postquam gelidæ de saltibus Arcti
Sub senis primūm Ducibus gens horrida bello
Hunni in Pannonios transmigravere penates
Keveque Macrinum (Latia qui Præses ab Urbe
Præfuerat populo) premeret victricibus armis,
Et laribus fuso mercatus sanguine terras
Cederet occiduus victor victoribus Hunnis:
Millia cum centum ruerent è gente Scytharum
Bisque Scythæ tantum fudissent fulmine ferri
Ausoniæ è populis: reparato rursus in arma
Romulidūm Mavorte Duces funesta ruiſtis
Tetricus, & bello victus Macrine priori.

Ferro, ferro iterum visum est decidere litem
Hunnius, an Ausonius dominas regnator habenas
Pannonici caperet regni, gentique subactæ
Iura daret, regeretque plagas victore lupato.
Mox ubi se geminus Geticis exercitus armis
Collifere, manuque volant pila obvia pilis,
Protinus Hunnorum medio victoria palmam
Figit, & ambiguum dirimit certissima litem.
Hinc ferro Macrine cadis, sed Tetricus inde
Fronte sagittatâ vulnus crudele Latinam
Vix paucis referens profugit comitantibus urbem,
Innu-

4

Innumerasq; docet gentes cecidisse Senatum
Marte sub Hunniaco, nec savi robore belli
Ullo vel reprimi victorem, aut posse domari.

Jamque in Pannonias duplicis discrimine pugnae
Caperat armipotens Hunnus dominarier oras;
Imperioque, Ducum magni Kadicaeque, Kemæique
Funera, solatus; Latijs haud amplius armis
Tentatur: tantum est primos meruisse triumphos
Amplius ut bello populis timeare laceſsi:
Detrimenta Ducum cum pensatura Pronæa,
Venturi præfaga bifrons, rerumque patenti
Orbe gubernatrix rutilum delapſa per axem
Talia Pannoniæ sancit victoribus Hunnis:
Nemrothi de stirpe Nepos, functisque superstes
Principibus Princeps, tyrio Rex primus in ostro
Attyla Rex esto genti: sic vota Scytharum,
Sic Procerum decreta ferant; regnator in Hunnos,
(Sontia terrigenūm qui plectat crimina Marte
Et portentificis convellat cladibus orbem.)
Imperium belli studijs, animoque tuetur.

Hæc statuit: Solio Rex Attyla fultus eburno
Erigitur, regni que capit moderator habenas.
Nec mora: sanguinei mens potentosa Tyranni
Omnes in belli studium detorſerat artes:
Et simul à Nemese (meruistis id horrida culpæ
Crimina terrigenūm) tristes lymphatus in iras
Armorū; ardenti veluti cum spumat ahenō
Vulcani impatiens liquor; in bella, horrida bella
Urgetur, ferri que calens flammatur ab æstu
Terrarum, mundi que metus, vindex que flagellum
Numi-

A 4

Regi nyugentatvelnyok, Martin
(304.15.11)

B 2.153/13 = 18 strau!

Numinis, infandos armis ut fontibus auso
Plecteret Ausonidum: & iusto correpta furore
Impietas secura DEI, regnare polari
Disceret ultorem scelerum regione Tonantem.

Qualis in Itacidas legis mandata sacratae
Transgressos Assur tragicis deserviit armis:
Aut Titus Oenotriis fontem legionibus Urbem
Vesani postquam rabie flammante furoris
Infanti fuerat toties incesta cruore,
Caedeque inauditâ infandum est polluta Tonantis,
Evertit Solymam; solium, culmenque Palaestae.
Talis, vel potius gravior Mavorte Tyrannus
Teutonicæ per regna plagæ, tractusque Latinos
Et Tartessiacæ campos telluris Iberæ
Præcipiti Titan quâ cursu lasse diei
Hesperios verso flectis temone jugales
Vindice vult Nemesis convelleret omnia ferro,
Omnia luctificis urget cinerata favillis
Funereo erueret nimbo, fatique rigore
Attyia culparum poenas inferret atroces.

Vah! quas impietas tum castigata dedisti
Poenas, sanguineo ultoris subjecta flagello,
Interitu dum cuncta pari commista profanæ
Sakra rei ruerent, implacatoque Tyranni
Omnia corripere funesta incendia ferro.
Æquatæ telluri Urbes, fœdataque multum
Regnorum facies, labentibus obruta rivis
Sanguine, congestis miserandæ stragis acervis
Arva cadaveribus gemitum lassata dederunt!
Livet humus sanie, & fœdata putrentibus aura

Pesti.

5

Pestiferum tabet tumulis, pinguique cruoris
Luxuriant campi satie! non cædibus unquam
Mors satur humanis rabidos his fertur in arvis
Non nihil effuso rictus placasse cruore.
Flumina quin etiam violenta rapacibus undis
Rura, Amasis, Mænusque, Lichusque, binominis Ister
Et Rhenus, Rhodanusque rapax, & dives Iberus
Sæpius insanâ lassati strage quierunt.
Proh quæ tunc facies terræ! quo sidera vultu
Sanguineas spectare plagas potuistis Olympo,
Terra metu dum quassa tremat, tremat horrida Martis
Agmina funestasque neces, & funera damnat?

Scilicet armicrepe furians Bellona jugali
Terrificas visu clades, & funera mille,
Monstrorumque acies Erebi, quæ claustra profundi
Ferratis cohibent luctantia monstra cavernis
Horrorem, Luctumque; atrum, Rabiemque; Doloremque;
Immanemque; Famem, Morbosque; Metumque; Necemque;
Ultrices cogens per fontia regna phalanges
Ultima supplicij Phlegethonte excivit Enyo.
Signa Furor lymphatus agit, sævi que Dracones
Tartareæque tigres labaris luctantur in auras,
Et levibus vexilla tument nutantia Cauris.
Sanguineam succensa facem stirps prima furoris
Tisiphone incestat terras; fremit ardor ad arma
Orbis in excidium; cæci que incendia belli
Orcus alit. Cadmæ segetes in ferrea Martis
Agmina Echionias arvis feralia pestes
Seminat incentrix æstus, Martisque, Megæra.

Ibant, aratæ segetes furialibus ausis

A 5

Tar-

Regi rymontatvethnyok, Martini
(304. 15. 11)

B 2153/13 = 18 stran!

Tartarei livoris hydræ, virusque per omnes
Undavere plagas stygij contagia tibi.
Ac velut horrificæ dum tempestatis Olympi
Virapitur facies orbi, immanique boatu
Incestas tenebris metuendum concutit auras
Ruricolis formido fragor, funesta trifulci
Tela per obliquum volitantia fulminis axem:
Et simul horrifonæ crepitantis grandinis iræ
Maturæ cladem Cereri, pubique Lyææ
Cladem, Pomonæ Cladem salientibus armis
Expediunt, Sobolisque urgent hortensis abortum,
Ruris opum miseri, tum spe cecidere Coloni.
Taliter infandæ feralia signa cohortis
Cæde furunt: stragesque trahunt, bella, horrida bella
Vindex mucro ciet, populosque tyrannicus ardor
Conterit, & cæsis conquassat gentibus orbem.

I nunc impietas scelere irritare Tonantem!
Scilicet haud lento graditur Vindicta furore
Dum tantas lentis pro crimine sufficit iras.
Impietas nunquam superos impunè lacessit.

Sed velut ultricis noxæ commissa flagellum
Horrendum irritant Nemesis: Clementia seris
Sic quoque cum lachrymis scelerata tempora vitæ
Damnare homines: doctis formidine pænæ
Supplicibus facilis gemitu, questuque movetur.

Jamque tot infandis lassatam cædibus orbe
Elongans Nemefin, superum Clementia partus
Pacari mandat terras: mitescite bella
Ferreâ depulso mitescite sæcula Marte,
Ah satis est, inquit, Themidi, sat stragelitatum

Effuso.

Effuso satis est undatum sanguine: noxas
Mortales melius cum damnare priores.
Aurea Sydereis pax aurea sedibus orbi
Pax rutilas redimita comas, placidoque virentis
Pax oleæ ramo, ferri fractura furores,
Æratos belli postes clausura: perenne
Delicium mundi que decus, pretiumque polorum,
Terrarum votivus amor, delabere cœlo.

Hæc a t: & leni pax placidissima lapsu
Astrigeris cum missa plagis mox arcuat artus
Panicæ formosa genas; & divite cornu,
Fulmineo exhaustum ferro tot gentibus orbem
Salvatura volat: funestæ fulgida pestis
Protinus exacto riserunt sydera tabo.
Non secus ac furvæ cum tempestatis abactâ
Nube, serenato rursus clarata pyropos
Æthere, stelligeris circumvehit orbita regnis,
Auratos facture dies Sol ipse coruscum
Pulchrior æthereos flectis Pyroënta per axes.

Ergo ministerium Nemesis, vindexque flagellum
Martigenæ ductor gentis Rex Attyla, regnis
Hæperijs efferre minas, sedare furores
Armorum; cadumque calens frigescere mucro
Debit ad magnæ Themidos decreta Pronæ.

Et jam Pannonias spolijs ditatus opimis
Hunniacus victor terrarum exercitus oras
Intrarat regressus ovans; stygiæque cohortes
Innumera pestes Erebi, Livorque, Dolorque,
Imperiosa Fames, Rabies, Luctusque, Metusque,
Victori nec gnara unquam mors parcere Regi

Conse-

Regi nyontatvethnyok, Martini
(304, 15, 11)

B 2153/13 = 18 strau!

Consequitur; scissoque fremens Discordia crine,
 Vipereâ cui lingua lue, feralibus ora
 Horrificum incessant obseffa Draconibus: iras
 Exspirant scabrâ exesi rubigine dentes,
 Tabificus repet ore cruor, livorque pavendum
 Asperat aspectum, scisso est velamine corpus
 Sanguineam bacchata quatit trux dextera pinna
 Conigeras pariter sequitur tristissima turmas.
 Ecce Pyrenæis cùm se regionibus una
 Dirarum, Alecto pelli indignata sub Arcton
 Infremuit, cæcoque furit per membra dolore,
 Arrigitur læsos nunquam Draco qualis in ætus,
 Grassari infandâ prohiberi strage per orbem
 Hisce colubriferas stimulans in fulmina Diras
 Intonat: ergo reses, residis succumbimus Orca
 Propudium? totumne nefas furialibus armis
 Hesperio quodcunque sinu complectitur orbis
 Eruere? an patimur redeat pax pristina terris,
 Progenies pietatis Amor, Concordia, Virtus,
 Cultus & Astræ vitij à stirpe recisis
 Floreat? indecores gelido proscibimur axi
 Hesperijs pulsæ regnis? torpebimus ergo?
 Vah pudor indecores vacuo torpebimus ævo?
 Nunquid deficient ruptâ compage profundi
 Eumenides? Circene nihil metuenda venenie
 Adjiciat? Medea nihil de Colchide terra
 Luridâ Cerbereis quæ miscet toxica spumis
 Proficiat? rabies Dirarum innata sororum
 Disperat? volucris num fortè Ixiona pænz
 Supplicio eripient superi? vel Tantalus undâ
 Liber avernali rictûs immanè fementes

Illi
7

Illicitis satiet mēsis, Tityusve revinctis
 Artubus æterno volucrum non viscere pascet?
 Sisyphiusne labor cassus revolubile saxum
 Deferet? & toto fontes revomentur ab Orco?
 Quid? sopita jacent corda illa ingentia Diris
 Sic oblita sui? furijs defecit Erynnis!
 Crudeles perière Getæ, perière Geloni,
 Atque Lycaoniâ noti feritate Tyranni,
 Centauri, Lapithæ, Siculi, lectoque Procustes
 Infamis, Phalaris, Cadmus, Busiri peristi!
 Massagetæ, Thraces, Mauri, Lestrygones, Ochi
 Vel rupe immanis Scyron, perière Nerones;
 Aut his si quid habent Lethes immanius antra!
 Scilicet in Scythicis fuerat res tota Tyrannis,
 Cedendum est; migrandum est in penetralia Ditis!
 Non sic transibunt odia irritata doloris
 Illicitæ per sacra stygis, numenque triforme
 Persephones juro, fixum est laxare profunda
 Tartara, juratamque fidem convellere rerum,
 Inque Gigantæos animare immania fratres
 Prælia, sanguineo cataclysmo involvere gentes.
 Nube dies temerabo atros, & sidera vellam
 Possessis nunquam regnis pellemur inultæ!
 Quid? possessa semel? vetat indignatio plura.
 Hæc fata; errantes dimovit ab ore Cerastas,
 Pars humeros circum, circum pars pectora lapsa
 Horrida ructantes saniem dant sibila rictu.
 Arrectæ dictis furia, sævoque dolore
 Saucia quæ fuerant, sed cæco pectora tabo
 Concitat, atque latens vulnus proritat apèrre.
 Cùm subito fremuère omnes, motaque doloris

Impete,

Regi nyonizata velnyok, Martin
 (304.15.11)

B 2.153/13 = 18 strau!

Impete, rabificus stimulat præcordia fervor,
Atque indignatis ardescunt corda favillis
In Iuperos, orbisque flagrant miserabile funus;
Consensuque alitur rabies: sic æquore quando
In conjuratos armantur prælia fluctus
Alter ab alterius motu crescitque, tumetque.
Sunt cognatorum donec cui funera cordi,
Nec nisi fraternæ gaudet de cæde cruorem
Fundere, vel patrius quem funestaverit ensis;
Amphytrioniadem quondam quæ terruit una,
Atque Athamantæi contorsit tela furoris,
Et Pelopum incestos inter bacchata penates
Infandas suasit noxas, tædasque Thyestis
Urfit, & Oedipodi ignotæ connubia Matris,
Talia morosis est dictis fata Megæra.

Quis sociæ certet superis? infesta Tonantem
Signa quis adversum frustranea vellere tentet?
Est aliud quod certa coquit mens præscia rerum
Consilium, nostras illo solabimur iras,
Illo interrupti dabitur vindicta furoris.
Attyla sons cædum, invisâ feritate Tyrannus
Invisus superis, vel & ipsi invisus Averno,
Hactenus auspicijs cujus lassavimus orbem
Et circumtulimus labaris victricibus arma
Ille irritati nobis scopus esto doloris,
Et simul horrendis sit sons exercitus ausis.
Scilicet armorum postquam tepes factus ab æstu
Ausonium cepit jam fastidire cruorem
Se consanguineo Busiride crudior hoste
Polluat infandum fraterni funere lethi.

Fer.

8

Ferveat Idalio posthæ succensus ab igne
Claudat ut informi deforme libidine fatum.
Sanguine, sed proprio, quem tantum torruit æstus
Sanguinis, occumbat meritâ pro crimine pænâ.
Exinfraterni Genitrix discordia belli
Sæva Jocastæos gnara irritare furores
Progeniem prudens inimicet in arma Tyranni.
In sua victrices funestum viscera dextras
Convertant, scissisque ruens exercitus armis
In sua discordi bacchetur funera Marte:
Excidijs gens tota læbet, pereatque propago
Sons scelerum. Horridior veniet feritate Lycaon
Oenotriam prædo longos pressurus in annos
Albivinus, longè stygijs immanior hydrys;
Efferus, indomitus, nostras formandus ad iras,
Quem furor irrisi stimulet Narsetis in arma
Sanguinea Ausonia. Vah. quæ tum funera terræ,
Quas dabimus strages! quantis bacchabimur ausis!
Neglectas rabie quantâ pensabimus iras!
Interea superum quoniam vi vincimur, orbi
Bella, neces, immane nefas intendere; mentes
Hunniacæ excidium gentis solabitur ægras.

Dixit: & effato tristi sedata nigrantis
Colluvies Orci, collaudavere Megaræ
Consilium, dirosque probat Discordia suasus.
Ergo Tænarijs ardescens Attyla tædis
Quas à vulnifica flammâ Discordia pinu
Bacchatur, fratrisque ferox sorbere cruorem
Ardet; fulmineo veluti Getula Leæna
Pabula pignoribus dum lumine conspicit alicem

Vena

Regi nyantata velnyok, Martin
(304.15.11)

B 2153/13 = 18 strau!

Venatrix, rictusq; famem compescere prae
 Sangvinei fervet: tali feritate Proustes
 Aggreditur facinus, triste, execrabile, dirum,
 Et consanguineo se Budæ funere fratris
 (Dicta quod à proprio sint nomine moenia Budæ)
 Polluit infestum subigens in viscera ferrum.
 Sic bellatrix, (sed quondam) Conditor Urbis
 Moenia transgressum confecit vulnere fratrem.
 O terræ, cœlique pudor! post cladibus orbem
 Lassatum, necdumne ruet funesta Tyrannis
 Sons scelerum? immerito cæsi num fratris inultus,
 O superi! ultrices dum clamat funere sanguis
 Pœnas, in pœnas tardus surdescet Olympus?
 Non equidem quamvis sero Vindicta flagello
 Claudicet, & lento tardet vestigia gressu
 Sat properat graviore reum cum fulmine sternit.
 Non etenim divina Themis tardata scelestum
 Vindicibus Nemese furijis in flagra dedisti.
 Festivus dum lucet hymen, Ildicoque tædis
 Dependata novis: dum regi pronuba Juno
 Regalem sociat geniali fœdere sponsam;
 Ecce novercales stigijis emersa cavernis
 Fatorum sortita dies furialis Erinny
 Lethiferâ ardescit pinu, Regemque furore
 Corripit Idalio, Nisæo corripit æstu,
 Inque malum penitis satagens fervere fribis
 Funereo cogit succumbere pectora tabo.
 Protinus effuso cum pestis membra sopore
 Confectum è thalamo pœnali funere, mortis
 Per præfocatos in corda supina meatûs
 Defluus in fauces sanguis devexit ad umbras

Et nup-

Et nupta algentes Ildico tarda marito
 Aeternum thalamo sopiti palluit artus.
 Attyla regnorum terror, pavor Attyla mundi,
 Attyla martigenis Rex invictissimus Hunnis,
 Pro qualis, qualique ruis vertigine fati!
 O aequam Themidos lanceam, quam crimina mole
 Acquibrata pari scelerum tormenta refundis.
 Jamque per hesperias belli procul exulat oras,
 Armorum formido comes, grandique pavore
 Exolvit Latium: Clemens in vota piorum
 Numen quando orbis vindex ferus Assur acerbae
 Occiduis cesit fatis urgentibus urnæ.
 Post tempestates belli, ferrique tumultus,
 Post castigatos pœnali verberare mores,
 Sic, sic Altitonans aurato rursus in ævo
 Tranquillam mundo sortem, pacemque reducis.
 Scilicet ut Genitor peccantis crimina gnati
 Corripit, & crudo metitur tergora nervo
 Pœniteat donec noxæ damnetque priores
 Pœnâ emendandos quos sons commiserat ausus:
 Prothius ingenito rursus dignatur amore
 Patris, & irarum, culpa manet immemor, ansæ:
 Atque ea, quæ fuerant savi instrumenta doloris
 Frangit, & ardenti committit pabula flammæ.
 Vindice sic postquam multâsti crimina ferro
 Astripotens, moresque emendavere priores
 Terrigenæ, scelerum ultricem sustollis Erinny,
 Mitior & placidis populos moderate lupatis
 Pacificos cœlo satagis decurrere soles.
 Vulgarum cum funus erat; proh quanta Scytharum
 Incessit formido genis, dubiique fatigant

In

Regi nymphata
(304, 15, 11)
Attyla, Martini

B 2153/13 = 18 strau!

In Martem Populi, quos Attyla Marte coegit
Signa sequi, & Scythicos bello observare Dracones.
Nec trepidos vanus Proceres percussit horror;
Naque Gochi, atque Heruli genus intractabile ferro
Marcomani, Gepidae, Moraviq; Qvadiq; Turingi,
Amplius Hunniacis renuunt parere Tyrannis,
Excutiuntq; jugum duri importabile ferri.

Insper ambitio Vindex post fata Parentis
Regales scindit Natos; Discordiagentem
Scindit, & hostiles socium prius agmen in iras
In sua bacchatur versis hostiliter armis.
Funera, proh quantis caesi tum stragibus Hunni;
Cum scissi scistos ducunt in proelia fratres:
Nec patrio regni falces Aladarius illi
Cedere, germano nec fasces cedere Ceaba.

Ergo discordi toties pugnata furore
Gentis, & a populo pariter Bellona rebelli
Fracta labat, lapsisque Hunnum confecerat annis;
Pannoniae cum regna diu possessa fatiscunt.
Sava malum validae tantum est Discordia genti.
Scilicet exiguas jam passim impunè ferocis
Reliquias vellunt populi, atque excindere stirpem
Viribus accisam sensim labentibus ævis
Terrorem quondam Latij juraverat orbis.

Hactenus expensum per ferrea bella laborem
Et finem egressus vulgati fama prioris
Nunc juvet alterius seriem decurrere cantu:
Tertia quadrijugo jam Titan secula lapsu
Signifera per flexa via coelique meatus
Verterat, ut saavis excesserat Attyla fatis:
Cum sterilem genti Scythiam mutare secundo

Fama
10

Fama loquax Istri svavisse feracibus arvis
Diceris; atque novae illectus dulcedine terrae
Pannonios exin populus migrasse penates
Et se reliquijs Hunni sociasse suorum
Hic mihi Calliope tantae fastigia gentis
In formas mutata novas, famaeque loquacis
Pennigeros, induta artus majore Camoenâ
Innumeris gelidâ populi legionibus Arcto
Migrantis distingve decus, septemque virali
Majestate Duces æternis plaude triumphis
Fallor! an in facilis volucris converteris artus
Pegasis; & centum lingvis armata, perenne
Martigenas plausura Duces, bellicque trophaum
Nunquam delendis pennâ signare figuris
Mausoloea petis; veterum quibus inclyta virtus
Grandibus æternos meritis sacravit honores?
Ecce Quirinali digna æternare Colosso
Septenis Septena Ducum suffixa trophæis
Hunnica marmoreis inspirans nomina fastis
Hiscetuos ARPADUM DUX PRIME TRIUMPHOS.

ARPADVS

DUX PRIMUS HUNGARORUM.

Æternaturis æternatura trophæis
Gloria quem niveis vectata jugalibus, undas
Vulgares populi super extulit, altaque celsi
Astra super rapuit, niveis quâ caesa pyropis.
Acta virum, Mavortis opus, nomenque perennat:
Hujus posteritas sero signata Nepoti
Facta Ducis condisce sagax, bellicque potentem
ARPADUM venerare virum, venerare strategum.
Sauromatas emensus erat, sineque Gelonos,
Quando

Regi nyomtatveinyok, Martin
(304. 15. 11)

B 2.153/13 = 18 strau!

Quando Lycaonia movit progressus ab Arcto,
 Innumera Princeps Scythiae Dux: arva nivali
 Dacica per gyrum circumvallata Nyphate
 Cum multo genti fuerant ad eunda labore,
 Inq; ipso tentandus erat Mars limine regni,
 Ergo arma expediunt, & primi fulmine belli
 Sylvicolae fundunt Dacos: primusque profuso
 Vita venalem licitaris sanguine terram
 ALME, Pater magnae sobolis, clarissimus Hunni
 Splendor, & Arctoi decus immortale trionis.
 Pannoniasque intrare plagas cum fata negarint
 Laedis ut in gnato superesset portio Patris
 Pulchrior, Arpado, victor Lacedaemonis instar
 Victrici patriam transferbis sanguine stirpi.
 Corniger Amramides quondam Nilotide terra
 Taliter Isaacidas Pharij sub mole Tyranni
 Educens pressos magno luctamine, siccis
 Victor Erythraei signans vestigia plantis
 Pollicitae Patribus Patriae quam rura videret
 Rura Palaestinae soboli viscenda Calebo
 Funerem cessit fati anticipantis ad umbram.
 Nec tamen hostili dum cedis victima ferro
 Pro Scythia, indecorem tumulant obliviae Lethes;
 Totusve incineres migras, bustique favillas.
 Pars melior, fatorum expers, exorsque sepulchri
 Caeruleas animus signavit tramite Nubes.
 Et Lunae permensus iter, flammisque Diones,
 Et Majae geniti excedens penetralia, sedem
 Augustam placidi Jovis, argentemque rigentis
 Exin Falcigeri tractum transgressus, & omni
 Altius erranti superem Augustale viratu

Et Lu.

87

Ingreditur: fixaque poli ut fulgesceret arce
 Clara novum sydus rutili convexa Bootae
 Invitant, inter septem stellata trionum
 Fulgura, & ambiguis haec septemtrio votis
 Cui decori accessurus eras decus ALME Scytharum.
 Interea dum iusta, pio funebria Patri
 Hungaricus per solvit Atlas, & victa rebellis
 Dacia victoris Dominos admittere franos
 Docta fuit: victa motis, de finibus armis
 Terrae, Pannonios celerat contingere fines.
 Contigerat: niveo Svathes qui sceptrum caballo
 Vendiderat, Rex indigenum cum protinus armis
 Obvius, Hungarici satagens excludere sceptri
 Limine, foedifrago rescindit pacta furore.
 Ergo arma expediunt ARPADUS primus in hostes
 Irruit, & facili Bellonae conterit agmen,
 Quem placidis comitata ultrò victoria pennis
 Aeternaturum victoris sanguine nomen
 Hostili in rigidis signavit itemmata faxis:
 Pannonijsq; Hunni potiuntur Marte secundum
 Heroae virtute Ducis: mens ardua cujus
 A puero teneris adeo succreverat annis
 Imperium ut vastis vastum sufferre lacertis
 Par fuerit, ferroque Scythas protendere fines.
 O decus Huniadum! decus immortale Scytharum
 O Fortem Mavorte virum! quem Pannonis ora,
 Mysia, quem prono lunata Sicambria vultu,
 Et plaga Dardaniae grandem est venerata strategum.
 Te, te belligerum laudavit Thracius Haemus,
 Te Rhodope, Parnassus, Othrys, te Pelus. Ossa,
 Carpathus aeternis inscripsit marmora fallis.

D3

In

Regi nyomtatveinyok, Martin
(304.153)

B 2153/13 = 18 strau!

In laudes abrepta tuas aurora Gradivum
 Obstupuit, metuitque tibi committere Marte.
 Bellipotens Aquilas etenim quocumque moveres
 Ponè sequebatur stabili victoria passu.
 Scitiet hoc fuerat, quondam præfaga futuri
 Somnia quod gravidam generosa prole Parentem
 Tempore sopitam placidaè monuere quietis:
 Cum Jovis armigeram volucrem fovisse patenti
 In gremio mirata suo, flumenque jacentis
 Neptuni sobolem tumidum prægrandibus undis
 Erupisse sinu stupuit: majoraque terris
 Dum fluit allophylis longè incrementa tulisse.
 Armiger ales erat pleno victoria cursu
 Hostica fulmineo convellens agmina Marte;
 Regia posteritas per longos ducta Nepotes,
 Indigetum grandis defluserat unde propago.
 Cum Geysa Stephanus, primus regnator in Hunnos
 Numina qui Scythiaè proscriptis falsa Parentum,
 Et fidei in verè transivit jura salutis,
 Flumen erat, cuius fluxus in sera Nepotum
 Sæcula manarent: magni victura perennè
 Nominis, Hungaricæ **AKPA DUS** Dux gloria gentis.

ZABOLCSVS

DUX SECUNDUS HUNGARORUM.

A Rcti septenos inter facunda triones
 Te quoq; fama canes Scythici inter lumina mundi
 Immensum **ZABOLCSVS** decus, Sydusq; tuorum
 Mæonijs pangi Ductor dignissime fastis
 Conceptis toto divulgat plausibus orbe.
 Vos Geticæ valles, celsi juga Carpatha montis

Et
12

Et Thracum Aemonios testatur de via saltus,
 Te Crysum, Marium; piscosa fluenta Tibisci
 Testatur quoties infestum stragibus hostem
 Fuderit, & pulchros tulerit Mauorte triumphos.
 Singula complecti gestit: sed grandior instat
 Gestorum series, & laudum grandibus undis
 Obruitur: sed pauca tamen succincta profatur.
 Finibus extremis hostes arcere cruentos
 Sauromatas Zabólcus erat, communibus unus
 Præpositus votis Procerum; ceu strenua virtus
 Ipsa sibi laudi causam discrimina rerum
 Posceret, & clari bella instrumenta triumphi.
 Materies nec enim facilis sit iusta trophæi.
 Virtutem in laudis sublime pericula tollunt.
 Qui, velut Alcides dum succollator Atlantis
 Pondera coeliferis excepit tota, lacertis
 Nec molis dubio titubavit signifer axe,
 Immensum succollat onus, finesque Scytharum
 Auget, & horribicos arcet mucrone Gelonos:
 Sauromatas, gentesque feras, quæ finibus Hunni
 Insidiatrices inhiant hostilibus armis
 Fulminei victor prostravit robore ferri.
 Ergo triumphales toties victore curules
 Scandere **ZABOLCSVS** bello dignissimus Heros
 Munifico dotandus erat mercede Gradivo.
 Cum Mars empyreâ cogit regione Senatum
 Digna que magnanimo pro factis præmia Alumno
 Danda urget, Divosque Scythis suffragia votis
 Aptas conferre vocet. Nec numina iustas
 Despexere preces, unum concordibus omnes
 Senferunt votis, & longâ prole beandum

B 4

Mar.

Regi nyomtatványok, Martin
 (304. 15. 11)

B 2153/13 = 18 strau!

Martigenam stat lege Ducem, per sæcula longa
Posteritas Marti studijs addicta Nepotes
CSAKIA progenies gens illustrissima stirpis
Hunniacæ. hinc magnæ deducat origine ceræ
Principium, in clari referat primordia bullas
Clara Ducis; decreta Dijs hac præmia sunt:

Hac surgat de stirpe Nepos FORTISSIMUS Hūnis,
Qui metat infesti turgentia colla Geloni;
Inque Typum referat, virtus quid CSAKIA magnæ
Ferratam in segetem mucrone propaginis egit.

Hac surgat de stirpe Nepos *Celsissimus* Hunnis
Alta Palatinos prædat qui culmina fasces.

Hac surgat de stirpe Nepos (*Franciscæ* futuri
Præcia fatidicis Dijs te cecinere tybillis)
Præses Cassiacis qui *Excellentissimus* oris
Excubitor Patriæ vigilet *Generalis* in armis. (phœj)

Hac surgat de stirpe Nepos (Stephanonoma tro-
S Omine prædicunt Stephane *Illustrissime* magni
I Magne Comes Fratris Frater, generosa propago
C) CSAKIA) lunigeros Patriæ qui fortis in hostes
I Præsidio, Odrysios valeat removeare furores.

Denique Martigenæ hac surgant de stirpe nepotes,
I Qui studio laudis genus immortale suorum
E serò in lapsuri transcribant sæcula cursûs;
E Et laus magnanimi vigeat victura perennè
I Nominis, Hunniacæ ZABÓLCUSUS gloria gentis.

GYVLA

DUX TERTIUS HUNGARORUM.

Orisca Parathonios fileant miracula factûs,
Artificidum moles operum, belloq; feroces,
P Iellas Alexandros, Fabios Saturnia tellus.

Tem-
13

Tempora venturis elapsa haud omnia sæclis
Fulchræ materiem laudis rapuere; futuri,
Restitit unde suis tollant præconia factis.

Tertius Hunnorum Dux nomine *Gyula*, superstes
Vivis, & æternis heros celebrabere factis.

Ipse Pater Scythicis Mavors qui præsidet armis
Adversos quassare Getas te instruxit Alumnum,
Inter & Hunniacos dedit æternare triumphos.

Ipsa pharetrifero nemorum quæ Præses amictu
Gaudet, in hostiles Gortynia tela phalangas,
Quando per umbriferi venatus devia saltûs
Argentis sequeris jaculo formidine Damas,

Nunquam fallaci docuit committere nervo:
Hic ubi deletæ veteris monumenta ruinas
(Forte feram sectatus eras) fato adspicis Urbis,

In restaurandas cum mox converteris arces,
Magnificasq; ædes, & cellis æmula cautis
Nubiferæ monumenta jugis, Palatia grandi

Exstruis, atque ædes Phario non dispare sumptu:
Et proprio moli fingens de nomine nomen
Julia Dacorum statuis dicatur ut Alba.

Hanc quoq; per molem vives mansure perennè.
Dux *Gyula* Hunniacæ durabis gloria gentis.

KENDVS, sive CHVNDVS

DUX QUARTUS HUNGARORUM.

I *Psaltes* Virtus pretium sibi, salag, latè
Fortuna securam icet, nec foscibus ullis
Tollatur, plausuq; petat clare/cere vulgus
Claudius Aonia vates vulgavit ut odâ:

Hanc tamen invitam blandè vestigat, & ultra

B 5

Nob

Regi nyentatvehnyok, Martin
(304.15.11)

B 2.153/13 = 18 strau

Nobilis ambit honor: idem docet esse fatendum,
Ruricola in Latios docet id quositus honores
Consulis à med js dum Cincinnatus aratris
Quintius, Aufonæ rapitur Dictator in Urbis
Vi populi falces, dominosque assumere frænos
Cogitur, & belli Ductor pultare lupatum

Te quoq; Nobilibus meritis pulcherrima quavis,
K E N D E Ducem virtus in culmen tollat honoris,
Posteritas te grata tamen colit; inelyta laudis
Nomina; venturo cursu tua nobile vulgat
Coenobium Sanctæ erectum præconia vitæ;
Quod pia progenies fidei dum lumine veræ
Emersit tenebris, statuit: Christoque fidele
Obsequium posuit, fidei monumenta receptæ.
Ker dia gens ex te deducit nobilis ortum
In qua pulcher honos vigeas victure perennè
Nominis, Hungaricæ Dux K E N D U S gloria gentis.

LEHEL

Dux QUINTUS HUNGARORUM.

Magna palatini cedant diffracta Tricollis
Marmora Pyramidum æterno formanda colosso
Cedant in Paria; cautis fabrefacta metallum
Carpathici prærupta jugi, immensosq; LEHELIS
Bajula belligeri narrent monumenta triumphos
Hûniadæ quid enim valeant, quantumq; lacertis
Heroræ virtutis agant, age Fama LEHELIS,
Quem Latij meritò stupeat famosa vetustas
Suffice mirandum terris exemplar in uno:
Nec solos flammis Mutios, Fabiosq; morantes,
Picipiadas Pœnùm, aut Gailorum strage Camillos

Vel

14

Vel Marios Numidum, properâ vel clade Napæis
Pompeios domitis, domitaq; propontidos orâ,
Ipso victores vel de victore triumphos
Jactitet æternis per sæcula posthuma Cajos
Æternare cedris, Nostro quot victa LEHELIS
Regna, quot everfæ pilis victricibus oræ:
Quot positâ bello fusi feritate Tyranni
In Ducis obsequium servas cessere secures
Æternaturo veniunt præconia censu.
Hercyniæ victoris opus, bellique trophæum
Nonne subit Dominos captiva Bohemia franos?
Nonne manu victrice labans Lotharingia vultus
Obsita squalentes, lacerosq; effusa capillos
Subjuga Pannonicis didicit parere lupatis?
Saxoniam memorem? temerè victricibus ausa
Armis assumpto ferrata resistere ferro
Protinus Hûnnigenæ cum castigata LEHELIS
Cogitur elatas demittere subjuga cristas,
Atque superbificos victori cedere fasces.
Tu quoq; victrices Aquilas Scythicosq; Dracones
Sub Duce qui labaris gentes domuere LEHELIS
Sensisti invicto cinerata Thuringia Marte.
Nec tu laurigeris elapsa es victa triumphis
Svevia: magnifici Burgundia strata trophæi
Materies cessit, bellorum Mysia laudi
Cessit, & abrupti styriæ cessere Nyphates
Et Macetum tractus. Hunnis non scilicet Alpes
Pyrenæve jugum, aut strymon, Grajusve Lycormæ
In via victrici potuere obtendere palmæ.
Imò novercantis ferrent ut mente furores
Interpidâ sortis, ventura stupefice mundi

Sæcula,

Regi nyomtatvéljogok, Martin
(304. 15. 11)

B 2153/13 = 18 strau!

Sæcula, magnanimi docuit fortuna LEHELIS.
 Theutonico dum Marte furit violentius orbe
 Fortè satellitibus paucis comitantibus, hostes
 Offendit numero validos (sic voverat urna
 Hunnus ut adversum quî ferret disceret orbis,
 Pulchrior & fato quî gloria cresceret ipso)
 Cùm captus trahitur Conradi Cæsaris ante
 Ora LEHEL, gentemque supra, Martisque rogatus
 Causas, impavidus regerit responsa Tyranno:
 Ultiores, inquit. scelerum sumus, horrida fonte
 Crimina Christiadûm stimulamur plectere ferro
 Nî facimus; Divis agitamur vindice fato.
 Dixerat: intrepido cùm lata est optio mortis.
 Nil motus sed morte LEHEL, sinuosa recurvi,
 (Ante volens mortem rauco præcludere cantu)
 Aeris, quo Scythicas acies in bella ciebat
 Ex usu gentis, Conradum cornua poscit.
 Accipit: haud fato meditans occumbere inulto
 In caput incauti impingit crudelè Tyranni
 Ista addens: funeste Latio, Prædoque cruento
 Servitute mihi nigrantis in antra præibis
 Orci, & tartareis Hunno famulabere claustris.
 Illico cùm lethi resolutus membra sopore
 Vertice colliso de Majestatis eburno
 Deciduo folio, divulgat spiritus artûs,
 Mortis in æternam concludens lumina noctem:
 Occisique super duxit pro nomine gentis
 Hunniaco Regis pulchrum cadere esse LEHELI
 funera; quod certo passu præsiere Nepotes
 Immortale sibi ferri dum funere nomen
 Quærent, & ex ipso decora immortalia fato

O Scy-

15

O Scythiæ sublimè decus, septemque viratus
 Hunniaco Dux clare polo! ô illustre trionum
 Sydus, magne LEHEL! splendor victure perennia
 Nominis, Hunniacæ durabis gloria gentis.

VERBULCSVS

DUX SEXTUS HUNGARORUM.

Pyramidum moles cœlo Germana maritas
 Coniferis tellus extolle cacumina saxi
 Martia magnanimi consignatura perennè
 Acta Ducis; placido quoties illapsa volatu
 Inclyta Rumoleos plusquam victoria plausus
 Cesit, Vindelici dum fervent prælia campi,
 Dum ferrata Ceres per Teutonis arva rigescit
 Vidtrici quoties redimitur tempora lauro,
 Gradiui VERBULCSÆ decus, Dux inclyte gentis
 Armicrepæ, tremefacta tuo sunt robora Marte,
 Hercyniæq; metu senserunt classica valles.
 Te conjuratus ripis trepidantibus Albis
 Sensit Achillæis animis, dextrâq; potentem
 Laudat, & Hectoreos æternis plausibus ausus,
 Nec Mœnus, vel Rura tuos mininata cruore.
 Hunniadûm in laudes ausit tacuisse triumphos,
 Insuper & Ligures, Umbri, Tusciq; Latini,
 Samoites, Apuli, Lucani, Histriq; Salassi,
 Oenotriæ gentes. Scythicis te fulmen in armis
 Devictæ VERBULCSÆ canunt. hinc illud in ævum
 Hunniaci æternæ VERBULCSVS gloria Martis

Regi nyomatatvchngok, Martin
 (304. 5. 11)

B 2153/13 = 18 strau!

O R S V S

DUX SEPTIMUS HUNGARORUM.

TV quoque materies aeternae maxima laudis
 Hunnaci septem lydis Dux O R S V S viratus
 Pieria famae cedis cantande Camoenae.
 Te meritis jurata tuis ingentibus aetas
 Sera perennantes in martia nomina fastos
 Volvit, quae gemini radiatur conscia Phoebi
 Gens, Latij diffusa plagis, vel Thracius undas
 Bosphorus arctatas parulum quae fundit in aequor
 Euxinum, Arctoo propius quod subjacet axi.
 Nam quoties infesta tibi te Graecia ferro
 Victorem venerata Ducem turgentia fastu
 Debuit Hunniaco sub mittere colla Dynastae.
 Quin Bellona tuis devota curulibus axem
 Phorida, Cepheum, Tanainque, Hebrumque jugales
 Fecit in augustum palmae servire triumpho:
 Et terris ementa vias, quae lactea pulchris
 Heroum distincto inter per coerulea signis
 Semita, Martigenam tollens super aethera prolem,
 Hic, ubi Threjijs postquam meruere sarisis,
 Heroas sicut tollit honos; in praemia belli
 Armipotens merito dedit aeternare trophaeo,
 Sic fortunatis suspirans saecula votis.
 Durabis Dux O R S V S decus per saecula magnum
 Nomen, & Hunniacae durabis gloria gentis.




Hec Mavors: cum fama simul lassata quievit
 Promptius imbriferam se imponere Pelion Ossae
 Fidens

Fidens, Hunniacas merito quam promere laudes,
 Et digne aeternis tantas inarare Colossis:
 Affectu sat rata suo tentasse labores
 Viribus & quantum valuit cecinisse triumphos
 In centum lingvas cum jam revocaverat ora
 Atque fatigatos per coerulea straverat artus.
 En nova se rerum facies, septemque viratus
 Se novus exhibuit pulchrae dignissima laudis
 Materies, quam Casiacis evexerat oris
 Pulcher Honos, & laurigeris cui tempora fertis
 Dote matitant Divinae Palladis artes.
 Respicit: & fessas vires vix lassae resumpsit,
 Hisque fatigato submersa est ore locuta.
 Hem nova quae rerum facies? miraculum mundi?
 Quae nova stelliferum errant portenta per axem?
 Hellados emeritae videone oracula surgunt
 Septenis famosa viris? erro! Hungarae tellus
 Non tantum laudata sago, bellicae trophaeis
 In septem Martis Ducibus famosa triumphat;
 En & Palladio septem laudanda viratu
 Casiacis aeterna plagis submittit Olympo
 Lumina, Maonio decora evulganda cothurno.
 Sed lassos jam famae artus, praemia laudis
 Evulgare negant. Proceres indulgete labanti
 Et clari longos lauro aeternate per annos.



Regi nyontatvshyok, Martini
 (304. 15. 11)

B 2.153/13 = 18 strau!



Quod ipsum & sequentes septem

- Sebastianus Segnyei Nobilis Vngar: de Lapisparak.
- Stephanus Szikszai Nobilis Vngarus Varanoviensis.
- Christophorus Nagymihali Nob: Vngarus de eadem.
- Melchior Berseviczi Nobilis Vngarus de eadem.
- Emericus Vyfalvi Nobilis Vng: Transylvanus.
- Adamus Vaskovicz Nobilis Vngarus ex Comitatu Nitriensi.
- Andreas Rutkai Nobilis Pannon Thurocyensis.

Laureato Sapientiae septemviratui cum reliquis Oratoria Facultatis Studiosis apprecabantur.

CLYPEIQ; INSIGNE DECORUM,

Virg. Aeneid. l. 2.

Hoc est:

B 2113

Heroica Spectabilis, ac Magnifica Petheöanae Familiae facinora,

Qua In gentilitio ad veterum morem Scuto expressa,

HONORI ILLUSTRISSIMI DOMINI

GREGORII PETHEÖ,

L. B. de GERSE, &c.

Dum prima AA. LL. & Philosophiae Laurea

In Alma, & Celeberrima Universitate Graecensi

Per R. P.

FRANCISCUM WINSAUER,
Societatis JESU, AA. LL. & Philosophiae Doctorem, ejusdemque Professorem Ordinarium,

SOLENNI RITU INAUGURARETUR.

Debita aggratulationis ergo,

Condiscipuli Physices Studiosi Praesentaverunt,


GRÆCII, septIMO IDVS APRILIS.

Apud Heredes Widmanstadij.

Regi nyomatata helyok, Martin (304. 19. 11)

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

MIKROFILMTÁR



BUDAPEST

BIBLIOTHECA ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE

1962

FOTO
Sz T